



10. *Qua miracula à variis Sanctis patrata?*

1. S. Gregorius Thaumaturgus precibus suis montem, templi ædificationi obstantem, loco movit. 2. S. Cypriano Sacris operante, mulier ad mensam Eucharisticam ausa indignè accedere, subita morte plectitur. S. Felix Nolanus, S. Agatha, S. Christina &c. multis miraculis claruère.

*Seculum IV.*

1. *Quinam Christi Vicarii Petri cathedram tenuère?*

31. S. Marcellus ad 310	36. S. Julius ad 352
32. S. Eusebius 310	37. S. Liberius 366
33. S. Melchiades 314	38. S. Damasus 384
34. S. Silvester 335	39. S. Siricius 398
35. S. Marcus 336	40. S. Anastasius 401

2. *Qua commendatione supremo munere pastoritio sunt persuncti?*

Omni ope atque opera connitendum iis fuit, ut grassantibus tunc hæresibus obsisterent, luposque, Christi ovile quaquaversus infestantes, arcerent: id quod & vitæ sanctitate & doctrinâ Apostolicâ egregiè præstitère. S. Liberius Athanasii defensor, Arianæque hæresis oppugnator acerrimus, ab Imperatore Constantio ejicitur in exilium, ubi biennio post propter atrocissima crimina, ab hæreticis Athanasio afficta, hujus damnationi & ipse tandem subscripsit, & cum Arianis quibusdam Episcopis, Catholicos sese astute simulantibus, communicavit. In expulsi porrò Liberii locum Felix Diaconus Catholicus Arianorum operâ intruditur primùm, dein nuntiata Liberii cum Arianis communicatione & subscripta ab eodem Athanasii damnatione à Catholicis quo-